[library stamp]

MEMORIALE

Oblatum S. Congregationi circa doctrinam Michaelis Baii, Cornelii Janſenii Ipren-ſis Epiſcopi, & quorumdam aliorum.

EMINENTISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI.

Quoniam ad Veſtrum Tribunal, jubente ſummo Chriſti Vicario, deferuntur omnia ſcandala, quæ oriuntur in Eccleſia Dei, neque minimam ſollicitudinis Veſtræ partem efficiunt diſſidia Belgica, quibus extinguendis tam aſſiduo ſtudio, tanto abhinc tempore incumbitis, non ingratum fore duximus, EE. VV. malorum originem, ſtatum, & remedia quæ videntur neceſſaria, quâ par eſt veneratione, atque ſubmiſſione exponere. Veſtræ erit, EMINENTISSIMI PATRES, toti Chriſtiano orbi probatiſſimæ ſapientiæ, de ſingulis irrefragabili judicio decernere. Nullam circa quinque Janſenii propoſitiones, nullam circa Formularium Alexandri VII. interpretationem fabricamus: ſolum ea referemus in ſenſu obvio, ut Decreto ante biennium edito imperaſtis. Minimè autem adverſari nos credimus impoſito ab EE. VV. ſilentii præcepto; nam ſupremos Eccleſiæ Principes & judices informare ſemper licet: neque alio fine hæc typis commiſimus, niſi ad Veſtrum, EMINENTISSIMI PATRES, commodum, ad faciliorem lectionem, & impediendam corruptionem, quæ in mul-

ta Amanuenſium & ſæpius repetita deſcriptione vitari vix poteſt. Cœterum ſummæ nobis curæ erit, ne exemplaria ad aliorum, quam oportet, manus deveniant, nam in his omnibus ſolum ſpectamus Eccleſiæ bonum, animarum ſalutem, Pontificiarum Conſtitutionum obſervantiam, noxiæ & damnatæ doctrinæ extirpationem, denique Belgii pacem & mutuam, ſinceram, ac perennem charitatem.

CAPUT I.

Relatio compendioſa eorum, quæ circa doctrinam Michaelis Baii & Cornelii Janſenii ab initio in hæc uſque tempora geſta ſunt.

PIus V, anno Incarnationis Dominicæ 1567. conſtitutionem edidit, quâ ſententias 79. *in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas, ſuſpectas, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes, reſpectivè ac quæcumque ſuper iis verbo, ſcriptoque emiſſa, præſentium*, inquit, *authoritate damnamus, circum-ſcribimus, & abolemus*. In hac conſtitutione parcitur nominibus Authorum, qui propoſitiones tradiderant. Verùm cùm hac benignitate ſuâ nihil Pontifex profeciſſet; ſed conſtitutio velut aerem tantùm & nullius Theologi doctrinam feriens contemneretur ab iis ipſis, quos tanta lenitas devincire Pontifici & convertere debuiſſet, Pii V. ſucceſſor Gregorius XIII. nova conſtitutione priorem confirmavit, & ut cavillationibus finis poneretur, Lovanium miſit Franciſcum Toletum concionatorem ſuum, dein S. R. E. Cardinalem, ut Baium ad agnoſcendos errores ſuos, & publicè retractandos compelleret: atque ita in viam reducerentur

cjus

Digitized by Google

ejus diſcipuli. Succeſſu non caruit hæc legatio; in primis ejus fructus fuit iſta Michaëlis Baii ſolemnis confeſſio: *Ego Michaël de Bay Cancellarius Univerſitatis Lovanienſis agnoſco, & profiteor me ex variis colloquiis & communicationibus habitis cum R. P. D. Franciſco Toleto concionatore ſuæ ſanctitatis, & ad hanc rem ſpecialiter miſſo, ſuper diverſis ſententiis, & propoſitionibus jam olim à ſanctiſſimo Domino noſtro Pio V. felicis recordationis ſub data Kalendarum Octob. anno* 1567. *& nuper à Gregorio XIII. moderno Pontifice Maximo ſub data quarto Kalendas Febr. anno* 1579. *iterato damnatis & prohibitis, ita motum, & eò perductum eſſe, ut planè mihi habeam perſuaſum, earum omnium ſententiarum damnationem, atque prohibitionem jure meritoque, ac non niſi maturo judicio, & diligentiſſima diſcuſſione præmiſſis, factam atque decretam eſſe. Fateor inſuper plurimas ex iiſdem ſententiis in nonnullis libellis à me olim, & ante emanatam Sedis Apoſtolicæ ſuper iis cenſuram, conſcriptis, & in lucem editis contineri & defendi, etiam in eo ſenſu in quo reprobantur. Denique declaro me in præſentiarum ab iis omnibus recedere & damnationi à S. Sede factæ acquieſcere, neque poſt hac ullas docere, aſſerere, aut defendere velle. Actum die* 24. *Martii anno* 1580.

Subſcriptum erat

MICHAEL DE BAY.

Tam laudabile Magiſtri ſui exemplum ſecuti ſunt diſcipuli, neque ullus Lovanii inventus eſt, qui propoſitiones illas aut ſenſum Baii palam defenderet, donec anno 1640. in lucem prodiit famoſum Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis volumen, cui titulus *Auguſtinus*. Præcipuus hujus libri ſcopus apparet reſuſcitatio doctrinæ Michaëlis Baii, prætenſo S. Auguſtini nomine. Non latuit id Romanam Curiam, atque in primis Urba-

Digitized by Google

num VIII. qui librum ſtatim ſupprimi juſſit, Decreto ejuſdem anni 1640. die 1. Auguſti. Cum autem Janſenius in teſtamento publico paucis ante mortem horis dictato die 6. Maii 1638. ſe ſuaque ſcripta Sedi Apoſtolicæ ſubjeciſſet, voluit Pontifex famæ authoris conſulere, prohibendo tantum librum, quod tractaret materiam de gratia contra prohibitionem Pauli V. à ſe confirmatam anno 1625. 22. Maii. Hanc prohibitionem flocci facientes Janſenii ſequaces librum innumeris exemplaribus ubique divulgare perrexerunt. Aiebant indignum eſſe ut tot annorum lucubratio tantis impenſis edita, & in qua Pontifex nullam ſententiam pravam reperiſſet, perpetuis tenebris addiceretur. Sic coacta eſt Sedes Apoſtolica doctrinam libri accuratiori examini ſubjicere. Quo peracto conſtitutionem dedit anno Incarnationis 1641. pridie nonas Martii, in qua primò confirmat Bullas Pii V. & Gregorii XIII. contra articulos Baii: deinde librum Jauſenii prohibet, *ut multas ex propoſitionibus à prædeceſſoribus noſtris olim*, inquit Pontifex, *damnatis continentem & magno cum Catholicorum ſcandalo, & authoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes, & prohibitiones defendentem ... ut à nobis compertum eſt.*

Contra hunc Urbani Bullam plurima commenti ſunt Janſenii defenſores: contenderunt eſſe ſuppoſititiam, nunquam editam à Pontifice; ſed à Janſenii, & veritatis hoſtibus confictam. Neque crediderunt Fabio Chiſio Nuntio Colonienſi, donec pluribus ex urbe litteris convicti ſunt. Tum dixere Bullam ſi non ſuppoſititiam, eſſe ſaltem obreptitiam & fraudulenter à Pontifice obtentam, ac dein à Colonienſi Nuntio variè corruptam. Ubi & hoc mendacium confutatum eſt, vociferari apertè cœperunt Urbanum VIII. turpiter erraſſe attribuendo Janſenio doctrinam ſcandaloſam, cum non aliam traderet, quàm

quàm S. Auguſtini, neque aliam tradidiſſet olim Baius, ideoque utriuſque doctrinam ante plura ſæcula ab Eccleſia probatam, damnari perperam à Pontificibus recentioribus. Hanc criminationem continent libell plurimi tum illius temporis, tum recentiores, & quidem hodierni.

Propoſitionibus ex Baio reſuſcitatis novas ſuo ingenio fabricatas ſuperaddiderat Janſenius, non minus noxias. Ex quibus quinque præcipuas velut totius materiæ de gratia & prædeſtinatione cardines, excerpſit Innocentius X. & ſingulas ut hæreticas & cum iis rurſus librum Janſenii tanquam tot errorum fontem condemnavit. Hæc definitio perculit quidem Janſenii defenſores, ſed non convertit; nam qui paulò ante in libro trium columnarum ſuſtinuerant, quinque illas propoſitiones, velut fidei noſtræ baſes ab Auguſtino contra Pelagianos aſſertas, in ſenſu proprio & connaturali, quamvis faterentur in alienum quempiam perverſum ſenſum maligne pertrahi poſſe, mox prodeunte conſtitutione, modum loquendi paululum immutarunt, eaſque propoſitiones in ſenſu obvio acceptas rejecerunt tanquam à nullo unquam Theologo Catholico, ac ne à Janſenio quidem traditas; Ita licere ſibi univerſam Janſeniani voluminis doctrinam retinere ut ſanam & Auguſtinianam arbitrati ſunt. Neque dein ab ea opinione dimoveri potuerunt authoritate S. Congregationis habitæ coram SS. D. quæ novo diplomate declaravit eundem SS. D. *damnaſſe in quinque* illis *propoſitionibus doctrinam Cornelii Janſenii.*

Quapropter Alexander VII. audaciâ cavillantium quotidie magis creſcente & obfirmante ſe adverſus Apoſtolicam Sedem, conſtitutione *Ad ſacram*, vocavit eos *filios iniquitatis*, qui *prædictas quinque propoſitiones vel in libro prædicto ejuſdem Cornelii Janſenii non reperiri, ſed*

 fictè

fictè & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe aſſerere magno cum Chriſti Fidelium ſcandalo non reformidabant. Et paulò inferius: *Quinque illas propoſitiones ex libro præmemorati Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, cui titulus Auguſtinus, excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio Janſenio intento damnatas fuiſſe deffinimus, & declaramus, & uti tales, inuſtâ ſcilicet eâdem ſingulis notâ, quæ in prædictis declaratione & deffinitione unicuique illarum ſigillatim inuritur, iterum damnamus.* Hæc conſtitutio data eſt anno 1656. 17. Kal. Novemb.

Sed neque hæc ſuffecit extirpandæ *Janſenii hæreſi*, quæ teſte poſt octennium eodem Alexandro VII. *ad inſtar colubri tortuoſi cujus caput attritum eſt, in varios gyros & cavellationum deflexus ibat.* Negare ſcilicet pergebant Janſenii Patroni propoſitiones in libro ejus contineri ſenſu damnabili; nam ſola, inquiebant, 1. propoſitio extat illiç, & quidem quoad voces ſolas, non quoad ſenſum damnatum: alias quatuor dicebant ſubdolè fabricatas eſſe, ſic ut ſenſum patiantur Catholicum & Auguſtinianum, quo modo conveniunt cum doctrina Janſenii, alium ſenſum hæreticum eſſe, ſed quem nullus in Eccleſia Theologus docuerit.

Non obſcurum erat Alexandro VII. quonam hæc cavillatio vergeret, ut nempe ſine ſcrupulo totam Janſenii doctrinam damnato ejus volumine expreſſam retinerent tanquam ſanam & inculcarent omnibus: ut igitur pervicaciam hanc infringeret Pontifex rogatus à Galliæ Epiſcopis concepit juramenti formulam, cui Eccleſiaſtici omnes utriuſque ſexus ſubſcriberent, *ſincero animo rejiciendo ac damnando quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen Auguſtinus, excerptas, & in ſenſu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit.* Videri de hoc poteſt Bulla REGIMINIS APOSTOLICI data 1664. 15. Kal. Martii.

Vi-

Videbatur hic futurus ictus fatalis Janſenianæ hæreſi; ſed juramentum pertinaces detrectarunt, & in Gallia quidem maluerunt aliqui exilium ſubire & ſacramentorum privationem, quam parere voluntati Pontificis & Regis. In Belgio autem conniventibus Epiſcopis juramentum ab univerſitate Lovanienſi mutatum eſt ita ut ſola promitteretur obedientia indefinita conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. ac propoſitiones 5. damnarentur, omiſsâ callidè mentione de ſenſu libri Janſenii.

Galli exules tandem perſecutionum pertæſi, & tamen Janſenii doctrinam quoad omnia retinere volentes ſubornarunt 5. articulos 5. propoſitionibus Janſenii in ſpeciem oppoſitos; ſed qui ut erant æquivoci, conciliari poterant aliquo ſenſu cum Janſenii doctrina: & revera ex ejus libro hinc inde excerpti deprehendebantur; Verùm his non acquieſcens Alexander VII. ſemper voluit ut formulario ſuo ſubſcriberetur ſine ulla limitatione vel exceptione. Illi in omnem ſe verſantes partem, etiam ſubſcribere ſe paratos oſtenderunt, modò non damnare cogerentur doctrinam Janſenii vel ejus libri. Quæ exceptio quam frivola eſſet, cuivis patet; nam præcipuus Formularii ſcopus erat doctrinam libri illius abolere, ut liquet ex Epiſtola Epiſcoporum Galliæ, Bullis Alexandri VII. *ad Sacram* & *Regiminis Apoſtolici*, atque ex ipſo Formulario ſupra citato. Janſenii propugnatoribus melius res ſuccedere viſa eſt ſub Clemente IX. nam licèt hic Pontifex proteſtatus ſit ſe inhærere velle veſtigiis ſuorum prædeceſſorum, neque admittere ullam in juramento exceptionem aut reſtrictionem, ejus tamen Nuntius Pariſienſis eorum fraude circumventus dicitur non plenè informaſſe Pontificem. Scribebat enim eos ſine ulla limitatione ſubſcripſiſſe; prætermittebat autem, & forte ignorabat

bat eos voce proteſtatos, limitationem eſſe ſubintelligendam. Hujus fraudis ignarus Pontifex eos in gratiam recepit ſupponens Janſenii libro ejuſque ſenſui in 5. propoſitionibus damnato valedixiſſe. Hoc fundamento nititur pax illa, quâ ſibi conceſsâ tantopere gloriantur eorum ſequaces etiam hoc tempore.

Inde uſquead Innocentii XI. Pontificatum pacatiores aliquantulum viſæ ſunt Scholæ; niſi quod tum emerſerit Quietiſmus, qui ſurculus quidam doctrinæ Janſenii in multis videri potuit. Sub idem tempus Decretum à S. Congregatione conceptum fuit, contra triginta & amplius articulos, quorum primi aliquot à Janſenio partim traditi fuerant, partim cum ejus doctrina neceſſariò erant connexi. Decretum hoc quoad articulos 31. ab Alexandro VIII. confirmatum ejus nomine ac juſſu in lucem prodiit. Contra hoc inſurrexerunt mox complures libellis anonymis & pſeudonymis, proſcindentes tanquam inutile, injuſtum, obreptitium & omni ex parte irritum ac nullum: imo nunquam Cardinales & Conſultores S. Officii atque ipſe Pontifex acerbioribus & indignioribus modis exagitati ſunt, quàm propter hanc conſtitutionem à Janſenii defenſoribus. Non tulerunt audaciam hanc Belgii Epiſcopi; ſed conſtitutiones Apoſtolicas executioni accuratè mandari juſſerunt, & in unum convenientes plura ſtatuerunt ad reprimendas novitates conducentia. Sed neque id impunè ab eis factum; nam mox innumeris libellis famoſis dilacertati ſunt, & cum eis Martinus Steyart Vicarius Apoſtolicus Sylvæducenſis ac Pater Harney ex Dominicana familia S. Theologiæ Doctor Lovanienſis, qui Epiſcoporum congreſſui interfuerant, & probaverant conſilia. Epiſcopus Namurcenſis Provinciæ Cameracenſis conſpicatus plures in ſua Diœceſi imbui principiis, quæ damnatæ Janſenii doctrinæ videbantur prorſus conſonare, oppo-

ponendum eis cenſuit Formularium Alexandri VII. exigendo juramentum illud ab omnibus ad ſacros Ordines vel beneficia promovendis. Ne verò Formularii vis cavillationibus elideretur, jurari præcepit in totum Formularium etiam quatenus complectitur quæſtionem quam *facti* aliqui vocant, addens ſe non contentum qualiſcumque reverentiæ profeſſione; ſed velle ut juretur etiam ſingula Formulario contento admitti ut vera. Juramentum hoc ſolus aliquis Gummari Huygens Doctoris Lovanienſis alumnus fertur Namurci detrectaſſe, propterea quod, ut aiebat, non poſſet illud præſtare ſalvâ conſcientiâ.

Exemplum Epiſcopi Namurcenſis ſecutus aliquanto poſt eſt Archi-Epiſcopus Mechlinienſis, & ſatis proni apparebant reliqui Belgii Hiſpanici Antiſtites ut idem amplecterentur, niſi rogatu Hennebelli & ſociorum, Sedes Apoſtolica Formulario Alexandri VII. quidpiam etiam interpretationis prætextu addi mox vetuiſſet.

Hac prohibitione uſus ſtatim eſt Hennebellus ut Archi-Epiſcopo ſuo Mechlinienſi inſultans ſcriberet, jam ſaltem autoritate Sedis Apoſtolicæ conſtare, quod ſufficeret damnare 5. propoſitiones in ſenſu obvio, neque debere nos admittere quod ex libro determinato excerptæ ſint & in ejus ſenſu damnatæ. Epiſtolam hanc miſit apertam & curavit ut à ſuis fœderatis non modò in Belgio; ſed & in Gallia legeretur pluſquam trium menſium ſpatio antequam traderetur Archi-Epiſcopo. Debebat ea ſcilicet inſtruere omnes quomodo jurandum eſſet ne ejurarent fortè ſenſum libri Janſeniani, aut damnatas propoſitiones ex eo faterentur eſſe excerptas, quod tamen diſertè Formulario exprimitur. Juxta hanc Hennebelli exceptionem omnes ejus ſocios jurare compertum eſt, cum numquam agnoſcere velint

ex-

excerptas eſſe & in ſenſu libri recté damnatas. Fuit quidem Hennebellus ob eam Epiſtolam à S. Congregatione reprehenſus, eamque tanquam irreverentem erga Archi-Epiſcopum ſuum, & violati quod S. Congregatio imperaverat, ſilentii ream, retractavit; quidpiam tamen in ea falſi contineri faſſus nunquam eſt. Ad elidendam hanc Hennebelli interpretationem edidit Archi-Epiſcopus Mechlinienſis Decretum quo declarabat ſe à promovendis ad SS. Ordines, & beneficia exacturum juramentum juxta Formularium Alexandri VII. in ſenſu obvio ipſius Formularii ſine ulla diſtinctione, interpretatione, aut reſtrictione: Aiebatque Innocentium XII. in ſuo ad Belgii Epiſcopos Brevi docere quod propoſitiones illæ ex libro cui titulus Auguſtinus Cornelii Janſenii ſint excerptæ. Verùm & Archi-Epiſcopo mox prohibitum Româ eſt ne Decreto iſto uteretur, ſola permiſſa exactio juramenti Alexandrini ſicut jacet. Quod quamquam ad tribuendas libro quinque propoſitiones, earumque ſenſum damnatum videretur aliàs ſufficere, in his tamen circumſtantiis Hennebello & ejus ſociis ad hoc non ſufficit. Per Hennebelli ſocios intelliguntur omnes qui in libro, cui titulus Auguſtinus Cornelii Janſenii nullam hæreſim, nullum errorem agnoſcunt.

Nunc pluſquam umquam aliàs de omnibus Romanorum Pontificum conſtitutionibus triumphat Baii & Janſenii doctrina: Baii opera omnia, unde propoſitiones damnatæ excerptæ ſunt, novis hoc anno typis excuſa cum ampliſſimis vindiciis ſingularum propoſitionum Lovanii palàm divenduntur & emuntur avidè: Janſenii vindicias continent libri & libelli varii, etiam anno hoc & ſuperiore editi: atque eæ tam operoſæ ſunt, tam ſpecioſæ & fallaces pro Baii & Janſenii doctrina Apologiæ, ut in errorem inducere natæ ſint etiam non indoctos. Denique nulla unquam fuit conſtitutio, nul-

lum

lum Decretum, conditum contra Baii Janſenii & Sociorum libros aut ſententias quod iſti non exſufflent. Neque ideo nobis antiquas neceſſe eſt cavillationes memorare : recentiores paſſim occurrunt ſat magno numero ut propoſitiones hic annexæ quæ ab anno 1691. traditæ ſunt, abundè manifeſtant.

CAPUT II.

Rationes ſeu cavillationes quibus potiſſimum defenduntur Baii, Janſenii, & aliorum damnatæ opiniones.

PRima ratio generalis eſt Auguſtini authoritas, cuilibet ferè novitati ab Erronibus obtendi ſolita in hunc modum : Conſtat ipſius Apoſtolicæ Sedis judicio eſſe tutiſſima & inconcuſſa dogmata S, Auguſtini ; atqui clarum eſt hanc opinionem eſſe conformem S. Auguſtino ; ergo damnata non eſt, nec damnari potuit : aut ſi in terminis damnata ſit, excogitandus eſt ſenſus aliquis à noſtro & Auguſtini alienus in quo damnari meritò potuerit. Si verò damnata ſit in ſenſu ab authore intento, dicendum aut ſaltem cogitandum eſt quod Pontifex humani hìc aliquid paſſus ſit, & criminantium fraude circumventus, alium putaverit eſſe ſenſum authoris quam reverà fuerit.

Secunda ratio particularis eſt pro Baio, quòd Pius V. poſt recenſitas 79. ſententias, ſubjunxerit, quòd, *non nullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent.* Atqui, inquiunt, immediatè Pontifex ſubjungit hæc verba : *In rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento.* Ergo poſſunt aliquæ ex illis propoſitionibus ſuſtineri in rigore, & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento ; quidni autem iſtæ *aliquæ* intelligi poſſint omnes Baianæ ? ergo nihil

 eſt

eſt in Baii doctrina damnatum ut falſum: neque obeſt quod plurimæ contineantur in Decreto; nam tantùm damnantur, quia delicatulis quibuſdam auribus & novæ ſcholaſticæ potiùs, quàm SS. Patrum traditioni aſſuetis duriuſcule ſonant, vel accipiuntur in ſenſu neſcio quo perverſo, de quo conſtat Baium ne cogitaſſe quidem.

Tertia ratio pro doctrina Cornelii Janſenii eſt quod Clemens IX. Theologos nolentes abdicare ſenſum Janſenii, receperit in gratiam, prædicaveritque in eis, *veram & totalem obedientiam.*

Quarta ratio deducitur ex eo quod Innocentius XII. tantùm poſtulet, ut quinque famoſæ propoſitiones damnentur *in ſenſu obvio*: adeoque videatur præſcindi poſſe à ſenſu libri, unde excerptæ dicuntur; præſcindi, inquiunt, poteſt, ſitne ſenſus totius libri ſanus, an aliquid in eo meritò condemnatum.

Confirmant 1. ex eo quòd Innocentius XII. abrogaverit additiones Archi-Epiſcopi Mechlinienſis & Epiſcopi Namurcenſis quæ in facti illius veritatem jurandum ſtatuebant.

Confirmant 2. ex eo quòd Archi-Epiſcopus Mechlinienſis programmate ſuo uti prohibitus à S. Congregatione ſit, cujus prohibitionis alia non videtur fuiſſe ratio, quàm quòd in illo programmate tribueretur Innocentio XII. quaſi ab eo dictum in ſuo Brevi Apoſtolico, propoſitiones eſſe *ex libro Janſenii excerptas in ſenſu obvio*, ubi tamen Pontifex tantum vocaverat *eas ex libro Janſenii excerptas in ſenſu obvio*; quia nempe ſic vocabantur paſſim; ſed per errorem; non autem aſſeruerat Pontifex eſſe excerptas.

Confirmant 3. quia Innocentius XII in eodem ad Epiſcopos Brevi vult ut *ſemper firmæ prædeceſſorum* ſuorum *Conſtitutiones permaneant in rebus quæ ad Orthodoxæ fidei*

Digitized by Google

fidei integritatem conducunt, non autem agit de factis, & ut ſupra dictum eſt ſufficit ei, ſi condemnentur propoſitiones *in ſenſu obvio.*

Confirmant 4. Innocentius XII in eodem Brevi dicit ſe *Conſtitutionibus Innocentii X & Alexandri VII*, *exemplo Prædeceſſorum* ſuorum *firmiter inhærere.* Atqui inter Prædeceſſores illos eſt Clemens IX, qui ita inhæſit conſtitutionibus Innocentii X & Alexandri VII ut faſſus ſit *Veram & totalem* eſſe *obedientiam* eorum qui propoſitiones in ſenſu obvio damnabant; quamvis nollent judicare quidquam eſſe in ſenſu Janſenii falſum.

Confirmant 5. omnes pro Janſenii ſenſu editi libelli tolerantur, oppoſiti omnes damnantur. ita hodie Bay & Janſenii defenſores.

CAPUT III.

Reſponſio ad rationes, ſeu cavillationes Capitis ſuperioris.

DEcreveramus quidem rationum adverſariarum ſeu cavillationum potiùs refutatione ſuperſedere; quia cum Memoriale hoc ad ſolos Eminentiſſimos DD. & Conſultores S. Officii dirigatur; quorum perſpicacia major eſt, quàm ut inſtructione extraneâ egeant; ne tamen fortè cuipiam ſuſpicio incidat quaſi objectiones illas callido ſilentii artificio approbemus, ſingulas refellemus; ſed quàm pauciſſimis.

Ad Rationem 1. Reſp. Neminem meliorem eſſe interpretem, uti S. Scripturæ, ita Auguſtini Hipponenſis & Iprenſis, ac quorumcumque aliorum librorum de Religione tractantium, quàm eum quem Chriſtus Eccleſiæ ſuæ Rectorem conſtituit adverſus quam portæ inferi non prævalebunt. Adeoque dum librum Auguſtini Iprenſis

declarat continere ut minimum quinque hæreſes , & compluresalias à Pio V damnatas opiniones; libros autem S. Auguſtini ab illis immunes eſſe, judicare debemus Auguſtinum Iprenſem ab Hipponenſi plurimum diſcrepare, eique opponi ſicut Doctrina hæretica opponitur Catholicæ.

Ad 2. Reſp. quod in Bulla Pii V inter *poſſent* & *in rigore* intercedat virgula, ſeu comma vocem priorem à poſteriore dividens ita ut ſenſus non ſit nonnullas propoſitiones *aliquo pacto ſuſtineri poſſe in rigore*, & *proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento ;* ſed *aliquo pacto ſuſtineri poſſe*, *in rigore* autem & *proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento hæreticas* aliiſque reſpectivè cenſuris *damnari.* Hanc interpunctionem continent exemplaria à Fabio Chiſio Nuntio Colonienſi in Belgium miſſa, eam continent etiam exemplaria , quæ dein ad fidem ejus rei faciendam ſunt Romæ munita ſubſcriptione & ſigillo Notarii Cameræ Apoſtolicæ. Deinde certum eſt interpunctionem illam , etiamſi expreſſa non fuiſſet , debere ſubintelligi ; nam alioqui ridiculus foret Conſtitutionis ſenſus ; quis enim dicat tantùm *aliquo pacto poſſe ſuſtineri*, quod *poteſt ſuſtineri in rigore* & *proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento ?* Satis itaque patet vel ex terminis, oppoſitionem eſſe, & non conjunctionem inter *aliquo pacto* & *in rigore ac proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento.* Denique nunquam damnat Eccleſia propoſitiones , quæ in rigore ac proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento ſuſtineri poſſunt ; alioquin & ipſum Symbolum Apoſtolorum condemnari poſſet , & hæc Chriſti propoſitio *Pater major me eſt*, quæ procul dubio in aliquo ſenſu , nempè Arianorum falſa eſt ; quanquam itaque teſte Pio V *non nullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent*, omnes tamen judice eodem ſunt hæreticæ , erroneæ aliiſque cenſuris reſpectivè damnatæ in ſenſu Authorum.

Ad 3 Reſp. Clementem IX reſpexiſſe ad ſubſcriptionem

nem Formularii illimitatam, & promiſſionem omnis obedientiæ ac ſubmiſſionis, quam teſtatam acceperat Pontifex litteris ſui Nuntii; ignoraſſe autem limitationem ab Epiſcopis illis in Gallia factam eſſe, & voce ſignificatam; alioquin non prædicaſſet hanc eorum ut *veram & totalem obedientiam.* Quomodo enim alioquin Clemens IX dixiſſet in eodem Brevi ſe Innôcentii X & Alexandri VII *Prædeceſſorum* ſuorum *conſtitutionibus firmiſſimè inhærentem, nullam circa illud* Formularium *exceptionem, aut reſtrictionem admiſſurum unquam fuiſſe?* Quis propoſitionis hujus Pontificiæ veritatem ſalvabit, ſi admiſiſſet *exceptionem* & *reſtrictionem* verbalem?

Ad 4 Reſp. Innocentius XII in ſuo ad Belgii Epiſcopos Brevi teſtatur ſe *Conſtitutionibus Innocentii X & Alexandri VII Prædeceſſorum* ſuorum *exemplo firmiter inhærere, eaſque in ſuo robore fuiſſe & eſſe declarat.* Atqui Alexander VII Bulla AD SACRAM: *Quinque illas,* inquit, *propoſitiones ex libro præmemorati Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, cui titulus eſt Auguſtinus, excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio Janſenio intento damnatas* ab Innocentio X *fuiſſe definimus & declaramus, & uti tales iniuſtâ ſcilicet eâdem ſingulis notâ, quæ in prædicta declaratione & definitione unicuique illarum ſigillatim inuritur, iterum damnamus.* Atqui & Innocentius XII in ſuo Brevi jubet, *damnari eas propoſitiones ex libro Janſenii excerptas in ſenſu obvio;* ergo declarat eas libro Janſenii, ſive qui Janſenii nomine circumfertur, eſſe excerptas in ſenſu obvio; adeoque non intendit reſtringere & corrigere Bullam Alexandri VII, quaſi malè pronuntiaſſet eas eſſe excerptas ex libro Janſenii, vel quaſi non vellet Theologos, qui jurare deberent Formulâ Alexandrinâ, ad eas, ut tales, damnandas obſtringere; ſed declaravit quo ſenſu excerptæ fuerint, nempè obvio, & quo ab omnibus ad juramentum obſtrictis, damnandæ.

Ad

Ad Confirmationes Reſp. Innocentium XII rationes non protuliſſe, cur additiones Archi-Epiſcopi Mechlinienſis & Epiſcopi Namurcenſis, uti & programma memorati Archi-Epiſcopi adhiberi noluerit; adeoque non eſſe noſtrum rationes facti Pontificii allegare cum certo aberrandi periculo. Si tamen divinandum foret, dici fortè poſſet diſplicuiſſe Pontifici quod additiones illæ ad Formularium Pontificium à duobus Epiſcopis factæ fuiſſent propria authoritate & non conſulta prius Sede Apoſtolica: deinde quod juramentum illæ exigerent in facta & quidem nimis indeterminatè; cum quæſtio de ſenſu libri juxta communem ſententiam ad jus pertineat; denique cenſebat Pontifex quod Formularium Alexandri VII tantâ ſapientiâ & tam matura deliberatione concinnatum ſufficeret ad extorquendam omnibus confeſſionem quod propoſitiones quinque ex libro cui titulus *Auguſtinus Janſenii* ſint excerptæ, & ſenſu in eodem libro intento rectè damnatæ.

Ad 2. confirm. Reſp. Programma Archi-Epiſcopi Mechlinienſis prælegi juraturis Pontifex noluit; quia videbatur id additionum loco præmitti.

Ad 3. confirm. Reſp. perperam ab adverſariis ſupponi quòd quæſtio: *qualis ſit ſenſus libri, Catholicuſne an hæreticus*, ad fidei integritatem non conducat. Neque Pontifex dum fidem integram conſervare vult, excludit mores Chriſtianos & alia omnia ad Eccleſiæ & animarum incolumitatem pertinentia.

De Clemente IX ſuprà reſponſum eſt.

Ad confirm. 5. Reſp. Libros ſenſum Janſenii defendentes, eſſe per ſe, & per ſuperiores conſtitutiones ſatis damnatos; oppoſitos autem libros damnari poſſe ob ſilentii impoſiti violationem.

CAPUT IV.

Media quæ videntur neceſſaria ad ſtabiliendam in Eccleſiis Belgicis pacem, & eliminandam in perpetuum Baii & Janſenii damnatam Doctrinam.

QUantum Eccleſiarum Belgicarum pax & incolumitas curæ ſint EE. Veſtris, teſtantur tam frequentes pluribus jam annis habitæ Congregationes quas omnium nationum etiam hæreticarum litteræ publicæ loquuntur, adeò ut magnum aliquid & Decretorium Romæ ſtatuendum Chriſtianus orbis meritò expectet. Hunc in finem EE. Veſtræ circiter à quinquennio per Archi-Epiſcopum Mechlinienſem colligi curaverant propoſitiones omnes quarum occaſione Belgium turbaretur: collegit Archi-Epiſcopus immenſam multitudinem & ut ſingulis Cardinalibus, Qualificatoribus, Conſultoribus & S. Officii Adminiſtris exemplaria non deeſſent, juſſit typis imprimi. Verùm cùm tanta eſſet multitudo propoſitionum ut earum examini ævum non ſufficeret, ex multis propoſitionibus paucæ eæque non niſi notorum Authorum dicuntur examinari, & ut nihil in Tribunali Veſtro temere fit, nihil niſi maturâ deliberatione, triennium jam tenet propoſitionum illarum diſcuſſio, & necdum ſcimus quandonam abſolvenda. Interea ut EE. Veſtrarum deſiderio ſatisfiat magis, propoſitiones collegimus quæ hoc ultimo quinquennio traditæ ſunt & toto Belgio diſperſæ. Nullum alicujus momenti errorem in iis deſcribendis accidiſſe confidimus; ex ipſis enim fontibus à nobis de verbo ad verbum deſumptæ ſunt, certè nullam ſtudio corruptionem factam jurare poſſumus. Verùm EMINENTISSIMI DD. dicere nobis li-

ceat quod cenſemus: exiguus erit laborum Veſtrorum, noſtrorúmque fructus, niſi ſecuris ponatur ad radicem. librorum & ſententiarum condemnationes non medebuntur malis noſtris, niſi condemnationum executio efficacius urgeatur. Quot Conſtitutiones & Decreta contra Baii, Janſenii eorumque ſequacium Doctrinam edita ſunt, quot contra libros! Eſtne autem ullum, quod recentiores Baii & Janſenii defenſores non explodant? tantùm inſpiciendæ ſunt propoſitiones à nobis collectæ, ſpecimina ejuſmodi ubique occurrent. Hæc ſcilicet eſt *dogmatibus fides*, hæc *factis reverentia*, quam viri iſti profitentur. Eſtne etiam veriſimile quod non pari modo eluſuri & exſibilaturi ſint Bullam; ſi quæ nova contra eorum quæ nunc examinantur opiniones prodeat? Quapropter, ſalvo meliori, unicè nobis neceſſarium videtur adigi Eccleſiaſticos omnes ut non tantùm damnent propoſitiones quinque Janſenii in ſenſu obvio; ſed etiam fateantur, quòd ex libro, cui titulus Auguſtinus Cornelii Janſenii ſint excerptæ, & quòd illic defenſæ habeantur eodem ſenſu quo damnatæ ſunt; denique jubeantur ipſi eaſdem eodem ſenſu condemnare. Simile quid ſtatui poſſet contra Doctrinam Baii. Ex publicâ ipſius confeſſione liceat nobis hic ſubjungere exemplar aliquod Formulæ quæ nullum videatur locum relinquere cavillationibus: *Ego N. agnoſco plurimas ex ſententiis damnatis à Pio V & Gregorio XIII contineri in libris Michaelis Baii eo ſenſu quo reprobantur & quo eas damno. Fateor etiam propoſitiones quinque damnatas ab Innocentio X & Alexandro VII contineri & defendi in libro cui titulus Auguſtinus Cornelii Janſenii eodem ſenſu quo damnatæ ſunt, & quo eas damno:* vel ſic: *inſuper fateor quinque propoſitiones damnatas ab Innocentio X, & Alexandro VII contineri in libro cui titulus Auguſtinus Cornelii Janſenii, atque illic defendi ſenſu hæretico.* In hiſce formulis nihil ſtatuitur

tuitur contra Baium, quod ipſe prius faſſus non ſit: nihil contra Janſenium, vel ejus librum, quod non *definitum & declaratum* ſit ab Alexandro VII.

CAPUT V.

Reſponſio ad difficultates quæ objici poſſent remedio propoſito Cap. ſup. & magis oſtenditur remedii illius neceſſitas.

NOn nulli fortè videri poterit nova Formula derogare honori Alexandri VII, quaſi is formulam concepiſſet non ſufficientem. Verùm quod ſufficit uno tempore, non ſufficit alio, malis creſcentibus, & novis ortis circa ipſum remedium ſeu formularium cavillationibus. Ita nemo modo dixerit quòd additio quædam facta in Symbolo Nicæno, deroget aurhoritati illius Concilii.

Major videtur timenda difficultas ex multitudine eorum qui univerſum Baii & Janſenii ſenſum prout in horum ſcriptis exprìmitur, tueri volent ut ſanum; certè adduci ſe non facilè patientur ut eum damnent, quem dicent ſe ignorare quis ſit, neque ſe curare. Hinc timenda ſcandala & fortè defectio multorum ab Eccleſia.

Reſp. 1. Aliquam quidem eſſe in Belgio faventium Baio & Janſenio multitudinem; ſed ſolorum ferè vulgarium ſacerdotum qui omnes Epiſcopos ad unum uſque infenſos ſentiunt. Sic nuper inter eos qui ſe contra Decreta Regia Janſenii defenſoribus & ſuſpectis infeſta oppoſuerunt, pauci Parochi & Sacellani, tres quatuorve Doctores Lovanienſes; ex Canonicis vix ſeptem vel octo undique conquiſiti, ſe declararunt; nullus inter eos Præpoſitus, nullus Decanus, nullus in

 digni-

dignitate notabili conſtitutus. Inter Religioſos ne unus quidem repertus eſt. Omnes Religioſorum Mendicantium Ordines novis iſtis Theologis adverſantur, ut ex Provincialium omnium miſſis ad S. Sedem epiſtolis exploratum eſt. Plebs fere tota Religioſis Mendicantibus adhæret: ex Nobilibus vix ullus ſe cauſæ religionis vult immiſcere; ex Senatoribus & inferiorum Magiſtratuum Adminiſtris, nullus ſe audet palàm Janſenianæ cauſæ defenſorem profiteri, metu ſaltem infamiæ, & Regiæ indignationis. Quod novi homines inſoleſcant, & ſe tanquam Pontifici & Regi formidandos jactare audeant; tantum oritur ex metu, quem ſe putant Romanis incuſſiſſe: nec quidquam eos audentiores & numeroſiores reddit, quam ſuperiorum aliquorum apparens trepidatio, & quaſi in re perplexâ dubitatio. Statuat modò contra eos Sedes Apoſtolica quidquid ad veritatis & conſtitutionum Pontificiarum defenſionem conducere judicaverit, nulla erit in Epiſcopis executionis mora, nullus obex objicietur à Magiſtratibus ſæcularibus, quos ſatis cohibent nupera Regis mandata ne ullum ſuſpectis hominibus patrocinium præbeant, ne ullum impedimentum, ſed potius ſubſidium adferant Epiſcopis. Imò verò poſtquam omnes Belgii Epiſcopi, cum omnibus Ordinum Mendicantium Provincialibus, & pleriſque Univerſitatis Lovanienſis S. Theologiæ Profeſſoribus remedium contra novitates tam ardenter petierunt, poſtquam Rex & Sereniſſimus Bavariæ Elector tanquam Gubernator Belgii tam ſevera contra ſuſpectos Decreta condiderunt, poſtquam tot & tam enormes abuſus Apoſtolicæ Sedi exhibiti ſunt, ſi nihil remedii adferatur, creſcet & intolerabilis fiet audacia malignantium, ingens ad eos tanquam Romæ probatos fiet acceſſio, eorum cavillationes cenſebuntur utcumque veriſimiles, Epiſcoporum & ceterorum Apo-

ſtoli-

Digitized by Google

ſtolicas conſtitutiones propugnantium dejicientur ani-mi; definitiones tam impunè proculcatæ vileſcent; denique eo res fidei prolabentur ut nulla dein authoritate erigendæ ſint.

Alia, eaque priori oppoſita fit objectio quæ adhiberi à Theologis iſtis ſolet pro perſonarum, cum quibus agunt, aliarumque circumſtantiarum variâ diſpoſitione. Libelli, inquiunt, qui ſententias continent duriores, plerique anonymi aut pſeudonymi ſunt quos tanquam noſtros non agnoſcimus, & fortè à noſtris adverſariis ad conflandam nobis invidiam compoſiti ſunt, ut ſi damnentur, nobis tanquam authoribus affricetur macula. Addunt nullos eſſe magis reverentes Sedis Apoſtolicæ quàm ſint ipſi, nullum eſſe ſuum crimen niſi crimen ſit non eſſe addictum laxitatibus.

Reſp. 1. Qua igitur ratione incutiunt terrorem Eccleſiæ, & Regni proceribus ne Baii & Janſenii doctrinam improbare jubeantur? 2. Cur non fatentur libros iſtos quos duriores vocant, propoſitionibus abſurdis, & erroneis ſcatere? cur tam ſtudiosè cavent ne quid in ipſis Janſenii & Baii operibus falſi eſſe confiteantur? 3. Unde fit ut nulli niſi notoriè eis devoti bibliopolæ libros iſtos diſtrahant, & Janſenianæ doctrinæ adverſariis non vendant, niſi ſub ſumma cautela & ſilentii promiſſione? Denique, remedio à nobis propoſito nihil poteſt eſſe efficacius ad pacem conciliandam & cavendum ne quis deinceps innocens tanquam ſuſpectus impediatur à promotione, aut infamiâ laboret. Quiſquis enim ejuſmodi formulæ ſubſcripſerit, ſatis probatus cenſebitur tanquam à Janſeniſmo & Baianiſmo immunis: neque de novitatibus hic tantopere odioſis, quæ communiter Janſenii & Baii defenſoribus propriæ ſunt, ſuſpectus habebitur.

Iſtud autem præ cæteris ſtudiosè cavendum ne Decretis

cretis fortè novis, vel Brevibus Apoſtolicis ulla inſeratur particula obſcura unde cavillationis anſa arripi poſſit ab iis qui ſingulis apicibus inſidiantur. Ignoſcite EMINENTISSIMI DD. zelo noſtro & candori. Nihil præſumimus, nihil nobis arrogamus ſed hæc omnia quæ non alio quam boni communis ſtudio propoſita ſunt, uti & nos ipſos in omnibus EE. Veſtris ſumma veneratione, & demiſſione ſubjicimus.

Theologi Belgæ religionis
& pacis ſtudioſi.

Digitized by Google